

moris deponit, & partes crassiores relinquit. Ut autem sciant, num satis crassa sit aqua, nec ne, instrumento sive ovo hydroscopico mensurant, & postea, si satis gravem inveniant, coquunt.

§. 6. Sequitur nunc, in locis maritimis dupliciter sal parari; vel enim solo Aëris. & Solis calore in areis salinariis cogitur congelari, ut loquitur Vitruvius *Archit. lib. 8. c. 3. §. 43.* (Conferrī etiam poterit Plinius *Hist. Nat. l. 31. c. 7.* & Dioscorides *lib. 5.* ubi sal dividitur in Cæsum, Fossitium, Fontanum, Fluviatilem, Lacustrem, & Marinum, *Job. de Laet. Comment. ad d. l. Vitruv.*) vel in Salinis coquitur.

§. 7. Ubi ergo ex aqua marina minus fœcunda, ut in Belgii quibusdam urbibus, sal coquunt, contrario prorsus modo procedunt. Non enim, ut Germani nostri, aquæ partes tenuiores subtrahendo, sed aliquid addendo aquam ex mari haustam ad coctionem aptam reddunt, dum sal impurum ex Gallia advectum admiscent, & muriam adeo spissam faciunt, ut succini particula innatare queat, postea ingentibus ahenis infundunt, ac non sine aliquo lucro coquunt, dum loco quinque mensurarum salis impuri septem mensuras salis candidi, paulo tamen debilioris, nanciscuntur.

§. 8. Porro videndum, an etiam per nostrum tentamen hactenus enumerati & in coquendo sale observati modi adjuvari queant? Quod omninò affirmandum esse puto, si nimirum aquæ falsularum frigori exponantur, quod tenuiores partes in glaciem coget, quâ (scil. glacie) extractâ & remotâ aqua cocturæ aptior relinquetur, & quamvis illa aqua non continuâ glacie obducatur, sufficet tamen, si ramulorum per totam muriam disperforum formam imitata sit glacies, quo facto facile muria crassior in aliud vas effundi poterit eodem modo, quo interdum urinæ partes aquosiores hyeme congelant, quæ ad linguam admotæ insipidæ deprehenduntur.

§. 9. Alia præterea redundat utilitas in eos, qui ex marina sal coquunt, si ex maris glacie obducti fundo per siphones aquam hauriant, unde procul dubio crassiorem & fœcundiorē accipient aquam.

Quæ-